# DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE NEPHRITIDE,

*QUAM*

FAVENTE SUMMO NUMINE

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris*

D. PHILIPPI REINHARDI VITRIARII,

J.U.D. Ejusdemque Facultatis Professoris Ordinarii,

NECNON

*Amplissimi Senatûs Academici unanimi Consensu, & Almæ Facultatis* MEDICÆ *Decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis ritè ac legitimè consequendis;

*Publico examini subjicit*

JOHANNES PAULUS GAILLARD, Lug. Bat.

*Ad diem 4. Februarii, horis locoque solitis.*



*LUGDUNI BATAVORUM,*

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,

Academiæ Typographum. M DC XCIV.

ILLUSTRISSIMO NOBILISSMOQUE VIRO

DOMINO DOMINO

# FREDERICO HENRICO SWEERTS DE LANDAS,

DOMINO DE BAERSCHOT ET IN CORTENBERGH AC HOTTORP, &c. &c. POTENTISSIMORUM D. D. ORDINUM QUÆSTORI SYLVÆ-DUCIS EJUSDEMQUE CIVITATIS CONSILIARIO ET SCABINO,

*Hæc Inauguralia ut observantiæ suæ testimonium publicum*

D. D. D. C.

JOHANNES PAULUS GAILLARD, JAC. FIL. *Auctor.*



# DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE NEPHRITIDE.

## THESIS I.



Tymologiam Nephritidis inquirentibus, & Linguæ Græcæ aliquomodo tantùm gnaris, statim sese offert ut ejus origo vox ΝΕΦΡΟΣ *Ren* dicta; unde rectam illius morbi dabimus denominationem, si dicamus Nephritidem *esse dolorem Renum productum à quacumque materia lædente aut inflammante*: hujus autem causam antequam examinemus, non inconcinnum erit, si aliquid de structura & situ *Renum*, ut & de illorum functionibus in medium proferamus.

## THESIS II.

Duo conspiciuntur sub Diaphragmate in regione Lumbari Corpora oblonga, satis dura, & pro statu corporis magis aut minus obeso, pinguedine vel parciori, vel copiosiori tecta, Phaseolum formâ suâ non malè repræsentantia, *Renes* dicta, ex variis partibus constructa: sed omnes quia minus ad materiam hanc nostram faciunt, principaliores tantùm quâ poterimus brevitate, & quasi transcurrendo (ut ita loquar) attingemus.

Et quidem 1. sese offert *Arteria* notatu dignissima, Anatomicis *Emulgens* dicta, ab Aorta originem sumens. 2. Occurrunt *Nervi* ab octava conjugatione oriundi, quaquaversus per *Renum* substantiam dispersi. Adsunt 3. *Vasa Lymphatica* Lympham vehentia in unam atque alteram glandulam à latere vasorum emulgentium conspicuam, è quibus glandulis in saccum Chyliferum detruditur. 4. Adsunt & *Tubuli*, *Renales* dicti, per *Renes* dispersi; ex exiguis glandulis producti, particulas recipientes Urinosas, easque in pelvim ducentes, & hinc per Uretheres in Vesicam.

Usus eorum est Lympham secernere, postmodum detrudendam in saccum Chyliferum. *Dein* Urinam secernere quam in pelvim deponunt, & hinc [ut diximus] in Vesicam per Uretheres. Sunt autem illi duo Canales oblongi, teretes in varios flexus & reflexus, ex *Rene* tam dextro quàm sinistro procedentes; habent duplicem tunicam, quarum superior pars pelvis, inferior verò terminum constituens per duplicaturam Vesicæ membranarum obliquo ductu fertur quasi valvulâ instructa foret.

## THESIS III.

Datâ *Renum* & *Uretherum* descriptione secundùm Situm, Figuram, Contenta, & Functiones, ad ipsam eorundem læsionem properamus.

Considerabimus igitur nunc *Renes* tanquam corpus solidum recipiens ulterius propellendos humores, unde eadem incommoda quæ alias infestant partes, hîc etiam locum obtinere statuimus mutatis tantùm mutandis ratione ministerii illius partis in nostra Oeconomia; hinc omnia morborum effecta eadem ferè sunt in universo corpore, id est, ministerium & regimen ipsum lædentia.

Hæc læsio vel merâ obstructione & infarctu pororum & meatuum absolvitur, ita ut languido motu tantùm miseras suas absolvant functiones; vel mediante *Inflammatione* cursu citatiori procedenti: unde corpuscula motu celerrimo agitata quævis vasa porosque etiam angustissimos pungunt, vellicant, & admodum dolorificè afficiunt; donec tota sæpiùs cohæsio naturalis aut alteretur in suo situ, aut pro maxima parte aboleatur. Cùm autem in definitione exhibuimus dolorem, ideò præsertim respicimus violentam hanc læsionem à particulis mobilioribus salinis & acrioribus productam; relictis igitur prioribus læsionum speciebus unicè hisce insistemus. Cau-

Causas igitur *Doloris Renum* potissimùm agnoscimus tres: *scil. Inflammationem* tanquam generaliorem causam; *Calculum* majoris minorisve molis tanquam læsionis perpetuum stimulum, quamdiu mobilitate & irregulari asperâ figurâ suâ fricationes, alterationes, & abrasiones varias producit; & tandem *Ulcus* ex utrisque his sæpiùs resultans.

## THESIS IV.

INFLAMMATIO *est irregularis & violenta quorumvis acrium corpusculorum pressio per minima interstitia vasorum solidorum cum arietatione maxima ad latera.* Hinc omnia phænomena *Tumoris*, *Ruboris*, & *Caloris* resultant in parte inflammata. *Tumor* nempe ab infarctu copioso ipsorum corpusculorum etiam minimos recessus penetrantium, replentium, & distendentium. *Rubor* ab exaltatione particularum oleosarum, & præsertim ob fugam particularum Lymphaticarum aquosiorum, unde particulæ ramosæ magis ad se invicem accedentes & læviorem superficiem per motum acquirentes, rutilanti rubedine insigniuntur ob reflectionem validiorem luminis. *Calor* à continuo salium sphericis particulis junctorum, tam motu quàm vellicatione & lancinatione, circa fibras nervaceas admodum tensas resultat: adde quòd effluvia spirituoso-salina ætheris motum sequentia fortiùs non solummodo agitent immediatè adjacentes, sed etiam remotas particulas cujusvis notæ fluidas & solidas, hinc etiam validiores humorum propulsiones & rarefactiones à turgescentia Salini spiritûs communicati: hinc aucti motus contractorii & dilatatorii vasorum ob influentiam spirituum animalium particulis illis incitorum. Ex hisce etiam sensus tristis seu doloris idea adsurgit, in quantum læsiones plurimæ procurantur ab acutis hisce spiculis & torrentis instar agitatis particulis [ut ita loquar] igneis, salino nempe sulphureis.

Quamdiu enim perstat valida propulsio corpusculorum spirituosiorum secum trahentium corpora majoris molis, tamdiu *primò* fit impetus in nervosum sensibile genus ob tenuitatem earundem particularum. *Secundò* fit infarctus humorum crassiorum. *Tertiò* fiunt læsiones & divisiones in plurimis partibus solidis Iliada malorum producentes; ideóque non immerito *Nephritidis* causam primariam assignavimus *Inflammationi*: causas autem *inflammationis* ulteriùs prosequemur.

## THESIS V.

Ut pars solida inflammetur necessariò præcedere debet corpus aliquod undique spiculis eminentibus armatum, majoris extensionis & molis quàm ut per hoc aut illud vas possit sine allisione violentâ ad latera permeare.

Obstructionem igitur non agnoscimus autorem *Inflammationis*; quoniam omne obstruens motum & ejusdem effecta tollit per illa vasa consuetum; cùm igitur Inflammatio necessariò involvat motum, & quidem motum calidum; ideò obstructio quâ obstructio est potiùs contrarium quid *Inflammationi*: Dein rejicimus & sententiam eorum qui partes inflammatas seu igneas soli ætheri subtilissimo pervias esse dicunt, ita ut in eodem innatare videantur, quoniam ignis eò violentior ardet quò tempestas est frigidior, & aër humidior ventis maximè lustratus: è contra aëris accessu negato penitùs suffocetur, ut & ardente Syrio æstu in sole repositus ignis duplo debiliùs ardet & consumitur quàm Hyeme, sic etiam carbo cujusvis ligni sepultus in firmissimo crucibulo undiquaque lutato, etsi per annum integrum in furno vitriariorum detineatur, non consumetur, quamvis recipiat particulas subtilissimas. Ideóque potiùs confugiendum erit non ad solum ætherem, multò minùs ad obstructionem: sed ad figuram corporis admodùm asperâ & acutâ superficie dotati fortiùs impellendi in angustissimas vasorum ramificationes, vel annectendi, & postmodum adigendi instar cuneolorum in tranversas fibras & latera vasorum, ubi vias præternaturali modo violentè aperit, non sine acutâ sensatione nervulorum ibidem dispersorum.

Moram ibidem diu nectere nec possunt nec debent illæ particulæ, quoniam à contractione laterum ac ab impulsione humorum semper ac semper ulteriùs protruduntur, dolores perpetuò auctos & augendos exhibentes, quamdiu angusta vasorum approximatio durat, ipsique nervi hîc illic occurrant ulteriùs ac ulteriùs lædendi; imò tamdiu perdurare debet actus malignus, quamdiu impunè grassatur illud corpus malignè figuratum.

## THESIS VI.

Figura igitur hujus corporis *Inflammationem* inducentis non aliunde derivari potest quàm à sale tanquam à corpore pungente,

gente,

gente, è meris punctis constituto, diversimodè dispositio in interstitiis terræ levioris ramosæ dictæ, vel quacumque aliâ ad perversam & pertinacem figuram inclinante, ita ut inde aculei, cuspides, unci, vel cujusvis notæ figuræ acres, acutæ & malignæ dictæ, proferantur. Hæ particulæ statim ubi subintrârunt corpus nostrum 1. humores, id est, partes fluidas: 2. organa seu partes solidas afficiunt, utraque hæc lædendo in figura & in functione. Insuper omnia salia quovis modo considerata per se agentia, & in unum locum arietantia, idem malum producunt: sed non tam magnum quàm ubi nexus & copula terræ levioris sphericâ asperâ figurâ dotatæ accesserit: sic enim olea vigecuplo fortiora sunt quàm spiritus, decuplo fortiora quàm salia *Volatilia* dicta vel *Fixa*, sic Lapis infernalis eò fortiùs & magis corrosivus redditur per metalla & mineralia, quàm Ruptorium commune: sic Butyrum Antimonii constans è Spiritu Salis & Antimonio, decuplo fortiùs agit quàm Spiritus Salis optimè rectificatus.

Hinc liquet & figuram è copula & motum illius figuræ requiri, antequam igneus ille motus producatur, reliqua autem ad causam hanc facientia & necessariò concurrentia brevitatis studio prætermittemus: sufficit autem nunc ad proximiores & magis familiares causas transiisse.

Inter has agnoscimus tanquam *Primas*, *Acrium & sicciorum aromatum nimius usus*, unde serum molle diluens humores nimis dissipatur, vel rigidioribus salinis particulis impraegnatur, quibus postmodum teneris *Renum* vasculis communicatis exordia profluunt 1. *Stranguriæ* vel *Ardoris Urinæ*, postmodum à continuante impetu etiam ardor & dolor *Renum*, ut patet in usu immoderato *Zinziberis*, *Cubebarum*, *Caryophyllorum*, *&c.* Hisce etiam annumeranda veniunt *Caseus antiquior*, *Insecta* admodùm *acria* pro diureticis imprudenter adhibita, ut sunt *Cantharides*, *Cimices*, *Millepedes*, *Vermes Majales*; tandem sub hac Classe etiam annumeranda *Venena* ad ultimam malignitatem pertingentia, *Renes* miris modis afficientia, præsertim si existant *lenta Venena*, quæ enumerare hîc supersedeo, ut & ea quæ medullam spinalem afficiunt, particulas nempe balsamicas & oleosas molles invertendo.

THE-

## THESIS VII.

*Secundum* locum meritò sibi vendicant *Catharri*, qui nihil aliud sunt nisi acris & muriatica salsuginosa lymphæ consistentia, unde fluidior & serosior justò redditur, magis eminentia & decarcerata offerens spicula ratione varia; postmodum ipsa vasa afficiens, præsertim circa *Renes*, ubi copiosiùs tunc temporis defertur, vel potiùs quoniam eò magis sensibiliter stimulantur vasa ad excretionem per urinam, unde etiam *regio lumbaris* circa *Renes* dolore acuto molestatur, cùm morbus *Catharrosus* continuatur.

*Tertium* locum occupant *diuretica diutiùs continuata*, sive ea sint oleosa vel salina, imprimis si acria sint; fibrillæ enim inconsideratiùs motæ & vellicatæ sensim ac sensim atteruntur, donec nudiora nervorum velamina jaceant faciliùs, postmodum develanda nervis, dein quibusvis injuriis nudis & obviis.

*Quartùm* locum possident *potus quivis acres* aut nimis recentes aut nimis vetusti; quoniam nil æquè alterat debitam lymphæ consistentiam quàm potulentus liquor nimiâ ingluvie assumptus, inde enim integra aliquali perstante figura crudiori, id est, non benè alterata & accommodata ad figuram corporis transit ad mixturam cum aliis humoribus à potu debellandis, & ad aliam figuram acrem reducendis; postmodum noxam *Renibus* inferentibus, ubi læsiones violentas sæpissimè procurant suâ insinuatione violentâ in fibrosum & fungosum contextum *Renum*, ut in *Ulcere* proximè patebit.

## THESIS VIII.

Non minimam ansam *Dolori Renum* præbent *moles terrestres ad lapideam & arenosam consistentiam redactæ figurâ externâ circa superficies inæquali, scabrâ, & asperâ dotatæ*, duo maxima mala producentes: 1. Obstructionem meatuum & tubulorum: 2. Frictionem & attritionem violentam laterum & parietum.

Obstructio hæc infinita producit symptomata in quantum stagnationes & retentiones humorum inde producuntur, quoniam hoc modo retardatum serum salsuginosum & urinosum in se mutuo conflictatur summâ cum alteratione status & situs naturalis. Inde igitur, ut & in omni motu intestino, è luctâ illâ internâ prosiliunt Salina acria corpuscula tenuioribus oleis combinata, sensim sese non solummodo extricantia, sed insuper tandem

dem ſeſe parietibus illorum canalium annectentia, inſinuantia; & vi ſibi vias transverſas parientia, eò faciliùs quò magis diſtenſa fuerint latera illorum vaſorum à copioſo infarctu humorum nimis diu moram ibidem trahentium.

Illud infinitis experimentis patet; nam quidquid *Chymia* offert in amœno fluidorum exercitio per motus variegatos, illud unicè tranſit in ſalis oleoſi & tenuioris extricationem; ſi quis autem *Chymicis* operationibus credat multum intereſſe à naturalibus in œconomia noſtra ſeſe offerentibus, ille facilè in meliorem ſemitam deducendus veniet, ubi animadverterit diverſitates modificationum omnium fluidorum & ſolidorum in ſtatu naturali & præternaturali, ut patebit in Ulceribus pus diverſiſſimum fundentibus, ſemper autem ad magis ſalinam & acrem figuram vergens, quod ex odore, ſapore, & coloris mutatione ſufficienter apparet; adde quòd *Chymia* ratione fluidorum & ſolidorum tantùm naturaliter operationes efficiat.

Ex eadem cauſa dolores in Renibus miſerrimos ſæpè cruciatus exhibent, ubi vel vitæ ſedentariæ indulgent vel diutinum admittunt in dorſum decubitum ægri: ut & ii quibus ſtudia ſunt frequentiora cum meditationibus ſpiritus animales aliò deferentibus; hinc enim magis vappida redditur lympha ad acidum inclinans, acribus attamen particulis hìc illic inſtructum, præſertim ubi per ſubſidentiam vel approximationem viſcidiorum humorum irregulariter ſero innatantium fiunt alliſiones, arietationeſque inconditæ ſalinæ materiæ; ita ut tandem mediante alteratione aut turbatione nexûs illius in apricum prodeant è clauſtris ſuis proſilientia Salia poſtmodum vagabunda quod patet in juſculis gelatinæ conſiſtentiam obtinentibus; ſenſim ac ſenſim dilutioribus, fœtidis, acribus ac malignis factis poſt aliquot dierum aſſervationem.

Hac ratione etiam è ſimilibus liquoribus leviori etiam motu ſalia & ſpiritus oleoſos in altum elevat *Chymicus* relictis in fundo aquis, & terris craſſioribus antehac potiùs præcedentibus ipſum ſal, aut ad minimum ſimul cum ipſo adſcendentibus, quod non ſemel ex *Urinâ* recenter à *Nephriticis* editâ obſervare licuit; ubi nempe ad fœtoris & acredinis notam ſummam pertigerat: omitto hìc *Calculi*, *Arenularum*, & *Saburræ* ſolidioris incunabula, & progreſſus, ne hiſce pagellis tœdium LECTO-

RI BENEVOLO inferam nimis longus existens; unicus enim mihi scopus existit doloris causas perscrutari, & obferre, quas uno verbo *ex sale acriori impunè grassante & nervosum genus molestante vel lædente deduco.*

THESIS IX.

ULCUS *est discontinuatio partis solidæ humore naturæ peregrino, pure dicto, repleta aut replenda.*

Quæcumque causa pungens & acuta & cujusvis alius notæ materia acris hoc inferre potest, attamen non sine præcedenti inflammatione & læsione successivâ; hinc præcedentes causas obiter attingemus. Materiam majoris molis asperam & acutam arctiores & angustiores tubulos invadentem, latera inquietantem, & transverso irregularique modo procedentem, agnovimus *Inflammationis* causam. Majorem saburram & coagula lapidea obstructionem & attritionem asperam procurantia statuimus stagnationis & motûs intestini Auctores, producentes particulas acuminatas faciliùs divortium nexûs solidæ læsæ partis sese insinuantes, quod obiter hic notari libet in præcedenti Thesi prætermissum; nam majora illa fragmenta aspera perpetuò lateribus molesta violentas contra naturam aperturas inferunt; in quas acerrimæ particulæ impingunt, & tandem ulterius ac ulteriùs sese insinuant ad ruinam trahentia partem affectam.

Non mirum igitur si pessimum effectum *Inflammationis* & *obstructionis* violentæ sit *Ulcus*; fluidorum enim natura cùm perpetuò volubilis sit, mutans indefesso suas vicinias, ideò necessario se mutuò afficientes & atterentes superficies, sepimenta, & retinacula, tandem tollunt, in quibus antehac nidulabantur salia cum Æthere illic ludentia in Dedaleis illis recessibus; nunc autem ubi non ampliùs coërcentur à terrâ ligante & aquâ diluente sui juris facta non cessant moveri: sed in vicinos parietes ruunt, eos perforant, rodunt, & tandem totaliter discontinuant; imò in pulpam dein convertunt, ac si dissoluta esset terra in sale; exinde fiunt Lacus, Stagna, Paludes è congregatis & in unum locum collectis omnibus humoribus ibidem antehac sævientibus; hisce accedit quod lacessiti nervi & vascula lymphatica tenuem suum & spirituosum succum copiosiùs illuc perfundant per orificia nimis patulo ore hiantia

tia

tia, facta ope læsionis; unde tantò violentior motus & infarctus circa illa loca. Tandem non minoris notæ existunt effluvia ex illis partibus inquinatis sese offerentia, humores incitantia ad majorem æstum & ferociam unde sensorium commune 1. Validè afficitur: 2. Equilibrium motûs & figuræ tollitur: 3. Alterationes statûs naturalis plurimæ conspiciuntur per *febres*, *vigilias*, *&c.*

Collectiones & elaborationes Puris tam diversæ sunt quàm sunt diversæ figuræ corporum; sufficit enim mera figuræ alteratio in levissima aliqua quantitate corporis ut statim invertatur actio, motus, & omnimodæ figuræ pristinæ totîus corporis annihilatio, seu mortificatio subsequatur, quod ubique demonstrant maligni morbi, venena, miasmata per aërem sparsa, alimenta & potulenta assumta, præterquam quòd sufficienter ad oculum demonstrari possit in mixtionibus & motibus Chymicis, quæ tamen exactè delineare nec tempus nec otium permittunt: satis sit quòd pro mutatione puris ad magis tenuem & liquidam substantiam dolores semper acutiores sint circa *Renes*; ideóque magis exquisitus adhuc est sensus, quoniam seri Urinosi depositio nunquam fit sine manifesta salsedine immediatè apparente, unde tantò violentius est *Ulcus* in illis quàm in aliis partibus, per stimulum illum Salinum *Puris* malignitatem augentem. Hactenus de *Causis* dicta sufficiant, nunc ad ipsam morbi notionem transeo.

## THESIS X.

Exactis delineare coloribus Signa Diagnostica omnia impossibile est, testante id Galeno lib. 2. *de locis affectis* cap. 5. nam valdè inter se concurrunt signa: communiora autem sunt *Calor circa Renes cum dolore sæpiùs ad latera mentiente Pleuriticos dolores, nunc in dextro nunc in sinistro latere, apparente sæpiùs cum magna pressione circa inguines, & nauseâ concomitante*: *Urinæ difficilis excretio, sæpiusque dolorifica, ejusdem evacuatio* ob particulas nimis acres salinas ibidem prædominantes: *stupor cruris*: *nausea non rarò cum vomitu, accedente sæpiùs febri*, ob particulas salinas sanguini nimiùm communicatas. *Accedunt insuper libidines inconsuetæ venereæ*, præsertim in principio *Nephritidis*, ubi magnos nondum fecerit progressus, magnum enim commercium particulæ hæ salinæ obtinent cùm vasis seminalibus & ipso semine magis ad

ad rarefactionem & Oestrum venereum incitandis, ut patet in omnibus salacibus dictis, quod etiam ulterius manifestatur post Diureticorum usum stimulantium ad libidinem veneream, ut & post usum Aromatum non admodum acrium ob salem tenuem oleosum ibidem copiosius nidulantem: idem sæpius contingit post opiata & anodyna assumpta ob tenuissimum sal volatile facilè extricandum ad voluptuosam titillationem spirituum seminalium excitandam, si autem ullibi *signa Diagnostica* apprimis haurienda veniant, illa non alibi æquè ac in ipsis *Urinis*; colatorium enim seri urinosi cùm *Renes* existant necessum ut in illis vasis malè figuratis maxima fiat ipsius humoris modificandi alteratio: sequentia ergo à me visa & observata proferre liceat salva Doctiorum & magis Exasciatorum judicio, auctoritate, & experientiâ, quibus refragari mihi piaculum esto.

THESIS XI.

*Urinæ* in principio tenues plurimis crystallulis salinis refertissimæ conspiciuntur, straminei aut vinosi admodum rutilantis coloris. Ratio mihi videtur esse quia tunc sedes nondum fixas nec planè immutatam Renum substantiam obtineant corpuscula sævientia salina, nondumque coalitiones crassæ materiæ viscosæ per abrasionem violentam aut secessum terræ ramosæ factæ fuerunt, turbationem postmodum *Urinæ* inducentes.

*Urinæ* sensim *rubentiores factæ* cum ardore circa orificium penis ejectæ, subsidentiam crassam rubram exhibentes, denunciant *Ardorem* seu *Inflammationem Renum* invaluisse, ita ut particulæ Salinæ oleoso-acres per motum intestinum violentum excussæ sui juris factæ etiam ipsum mucum deradant, sensibiliterque fibrillas nervaceas circa latera vasorum disseminatas afficiant: hypostasis autem in refrigerata urina subsidens ab illis dependet salibus terram mucaginosam dissolventibus in calore, quoniam in frigore non sufficienter mota & arietantia salia deponunt, quod patet ubi super ignem imposita *Urina* omne sedimentum denuo sublevat.

Hoc in Chymicis solutionibus per salia factis ad oculum demonstrant experimenta Chymica, quæ omnia recensere nimis longum foret; sufficiet indicâsse solutiones hasce in frigido factas diutissimè permanere limpidas, in calore autem impetratæ divisiones ex tempore post refrigerationem subsidentem dimittent, terram denuo in calore disparentem.

Uri-

*Urina serosa* instar seri lactis existentes signum præbent *divisi* nexûs balsamicæ & oleosæ terræ suo sale spirituoso privatæ, unde minùs diaphana urina coaguli in Renibus frequentiam denotat; præprimis ad arenosam & lapideam consistentiam facescentis, arguitque præsentiam acidi illic grassantis ad austerum vergentis, seu (ut vocabulo barbaro Auctorum utar) arguit spiritum adesse Gorgonium lapidificum. Si autem hæc *Urina* sit merè *aquosa* Diaphana manifestè demonstrat catharrum præsentem aut futurum, tantò magis si hæc *Urina* perstet super ignem limpida, sin autem coaguletur utraque, signum est Calculi vel Hydropis. *Urina* admodùm *Viscosa*, spumosæ, & lentæ albicantes ita excretæ signa præbent PURIS vel ULCERIS RENUM eò malignioris quò hæ *Urinæ* magis fœtidæ ad flavedinem, virorem aut nigredinem declinent. Hæ autem *Urinæ* sua præbent indicia cæteris paribus vel concomitantibus doloris, nempe circa regionem lumborum, ardorem & difficultatem *Urinæ* evacuandæ; hisce igitur supersedeo, donec meliora mihi allucescant, ad *Prognosim* festinans.

## THESIS XII.

PROGNOSIS etiam difficillima; saltem maximi periculi morbum esse, nemo inficias ibit; præsertim si ad abscessum tetenderit, aut si macilentos viribusque debilioribus instructos invadat; nam omnes humores hoc modo patiuntur acredine majori incitandas, ut superiùs in *Inflammatione* notavimus, & in *Ulcere*. Limpha enim omnis exacerbatur, Spiritus animales exasperantur, sanguis acrior & tumultuosior redditur, mixturam turbatam iniens; hinc Febres, Vigiliæ, Deliria, Vomitus frequentes, Tabes dorsalis, & cætera maligna Symptomata in apricum prodeunt: postmodum in Gangrænam, Sphacelum, Hydropem, Marasmum & Mortem desinentia.

In senibus incurabilis est, testante id Hippocrate *Aph. 6. Sectionis* sextæ, dum inquit, *Renum & Vesicæ vitia difficillimè in senibus curantur*. In junioribus spes major affulget, nisi alia indicia defectûs & imbecillitatis virium obstiterint à præcedente vel concomitante morbo, ut & facilior curatu sese sistit hic morbus recens quàm inveteratus, quoniam raró medicamenta ad partem affectam pertingunt illæsâ & integrâ figurâ: adde quòd perpetuæ alluvies violentæ figuræ & actionis malignitatem foveant in illis locis muriatico sale scatentibus.

## THESIS XIII.

CURATIO si ullibi hîc saltem, in principio est instituenda, antequam vires eundo acquisiverint mala serpentia: hæc autem cura ex causis contrarium indicantibus est petenda; ubivis autem ea maximè conducunt quæ sunt balsamica, crassa, oleosa & mucaginosa, ipsum salem nimis acrem & nimis copiosum undique investientia, & circum cingentia, eorumque intercapedines replentia suis particulis obtusis, attamen mollibus, terrestribus. Insuper requiruntur aquæ diluentes, potiùs autem puteales, ubi *inflammatio* peccat Aluminoso & Ammoniaco sale muriatico nobilitatæ, ad particularum ferociam & exæstuationem sedandam, porosque nimis dilatatos contrahendos, & in statum pristinum reducendos.

E contra autem quando Calculus similisque saburra peccat ibi aquæ Thermales Spadanæ, infusiones cum aquis ferventibus factæ, sunt propinandæ, ut majori nisu particulæ crassæ & lentæ averrantur, diluantur & expellantur: imò si opportunitas detur ipse Calculus sensim abradetur & imminuatur; hinc convenit iis, cautè tamen, salia muriatica, & quævis Diuretica. Cautè tamen illam miscelam adhibendam monui, ne nimia accumuletur & agglomeretur moles ipsius limosæ materiæ, postmodum infarcientis & ulteriùs infarcientis vasa.

Si ulcus adfuerit unicè conveniunt Emulsiones Gelatinæ, & mucagines, ut & Balsama è crassioribus ramosis confecta, non unâ septimanâ administranda, sed ad minimum per mensem unum, alterum, tertium, donec planè figura vitiata tollatur, & partes sartæ tectæque appareant ex effectis.

## THESIS XIV.

DIÆTA sit moderata, cumprimis ex oleribus leviter Diureticis & Anodynis coctis in jusculis (verbi gratiâ) ex Cucumeribus, Portulacâ, Lactucâ, Endiviâ, Petroselino, Chærefolio, Oryza, Mileo, Hordeo, &c. Vitentur omnia acria, piperata, salita, ex fumo indurata, ut & Caseus antiquior. Abstineant à potu nimis generoso, præcipuè ad acidum etiam vergente, Cerevisiâ aut Vino Rhenano. Exercitia sint moderata, præprimis levis ambulatio adsit. Animi Pathemata sint tranquilliora, si miseræ vitæ leviorem velit imponere

F I N E M.

# JOH. PAULI GAILLARDI,
## JAC. FIL.

## APOLLINIS LEYDENSIS

# *DOCTORALIS IN MEDICINA,*

# LAURUS.

*Dum Zenon famæ, titulique arderet amore,*
*Anceps, quâ æternum quæreret arte decus.*
*Protinùs & patrios Lares, Terrasque relinquens,*
*Ionium Delphos per mare tentat iter.*
*Ut venit, Templum subiens, Oracla petebat.*
*Supplex; quæ nostro sic cecinêre Sopho,*
Indue terribilis Zenon tibi lurida lethi
(a) Ora; *hinc egregium Nomen in orbe manet.*
*Sic mihi divino, GAILLARD, videbaris ab œstro*
*Percitus, & quærens post tua fata decus.*
*At nullum rabidis remaneret Nomen ab armis,*
*Nec Te laudarent prælia gesta diu.*
*Ite triumphales, Studiis concedite, lauri;*
*Cedite Threïcii prælia Martis opus:*
*Eia age Apollineis juvet impallescere chartis,*
*Hæ Tibi mansurum Nomen in orbe dabunt,*
*Fallor? an, ut miseros vidisti Marte cruento*
*Mille perire homines, vulnera mille pati:*
*Sat bellis, Martique datum est: procul hinc, procul omnis*
*(Exclamans) homines qui superesse cupit?*
*Mille patent aditus Libitinæ, vulnera mille:*

a) id est daret se studiis à quibus livori

Quàm

*Quàm decuit medicas nunc adhibere manus.*
*Hinc Te Poeoniis statuisti tradere sacris:*
*Dumque alios Bellum, Te Medicina tenet.*
*Te Medicina tenet: quam Cynthius extudit artem*
*Primus & hanc agris attulit Augur opem.*
*Auxit at inventam solers Epidaurius: artis*
*Perfectæ laudes, Tu Coë, solus habes.*
*Hanc & Romulidæ, gens hanc facunda, Pelasgi,*
*Thurilegi hanc Arabes, hanc coluêre Reges.*
*Tot Tibi sunt stimuli, quot habes exempla virorum*
*Immortale decus queîs Medicina dedit.*
*Sed nec eges: operi nullis cogentibus instas,*
*Et studia assiduè laudis amore premis.*
*Quin etiam egregium specimen nunc prodis,* Amice,
*Ingenii vires acris abundè probans:*
*Hæc exantlati noctesque diesque labores*
*Quàm Tibi profuerint, pagina docta docet.*
*Cautus enim fontes ac signa NEPHRITIDIS alta*
*Pandis, & hunc morbum pellere ritè doces.*
*Macte animis! Sævum superas, GAILLARDE, dolorem,*
(b) *Aspera cui virtus* stoica *succubuit.*
*Ergo quisquis erit morbo vexatus acuto,*
*Ad Te confugiat, Te duce sanus erit.*
*Quique aliis morbus fuerat mala causa doloris,*
*Hic pariet laudes, lætitiamque Tibi.*
*Quin igitur pergas, cæptis insistito, PAULE,*
Leida *dedit vitam, nomen* Apollo *dabit.*
*Omnia fortunet Summus, conatibus adsit,*
*Hisque meis votis annuat, atque Tuis.*

(b) ut patuit in Heracl. Dionysio Stoïco, qui ex renibus laborans, ipso in ejulatu, clamavit falsa esse illa quæ antea de dolore ipse sensisset. *Cic.* 2. *Tuscul. Quæst.* §. xxv.

Hæc Amico litavit, invitâ Minervâ,
L. F. BONETUS Th. Fil. Med. Cult.